871
S2t.Ysu

Digitized by the Internet Archive
in 2014

https://archive.org/details/symbolaecriticae00summ

UNIVERSITY OF
ILLINOIS LIBRARY
AT URBANA-CHAMPAIGN
CLASSICS

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

96 & 84

SYMBOLAE CRITICAE AD SENECAE TRAGOEDIAS.

SCRIPSIT

GUILELMUS SUMMA.

PROGRAMM

des K. humanistischen Gymnasiums Neustadt a. d. H.

für das Schuljahr 1895/96.

Neustadt a. d. H.
Buchdruckerei W. Kranzbühler.
1896.

871
Sc.t-Yse

In Senecae tragoediis lectitandis quamquam multum et diu versatus sum, tamen, ne confidenter haec fortique animo foras dem, scrupulo quodam impedior. Nam arduam rem aleaeque plenam aggredi iure existimatur is, qui veteris alicuius scriptoris librum aliquem codicibus magis minusve mendosis memoriae traditum perspicit, si menda sanare possit: Senecae vero tragoediarum emendatio imprimis et lubrica est et periculosa. Huius rei quae sint causae, sciet quivis doctus et intellegens. Itaque superet criticus difficultates coniciendi, quid veri simile sit scriptorem scripsisse, facile: is, qui artem cricitam non profitetur, magnopere verendum est, ne in eo genere elaborans non multum proficiat. Quam ob rem qualescumque sunt coniecturae ipsae, quas nunc sum propositurus — de his ambigi consentaneum est; hoc est enim omnium coniecturarum proprium, ut, quamvis videantur fundamento niti certo, tamen, si verum quaerimus, ex arbitrio fluant conicientisque libidine, fonte haud ita liquido — paucis eis, in quos inquisivi, locis hoc mihi contigisse sperare videor, ut viam indicarem, qua quoque loco via ad verum perveniri posset. Quam quidem ad rem idoneane haec sint, quae adiuvent, aequi harum rerum iudices videant.

Quod quoniam, quorsum spectet disputatio, apparet, priusquam ad propositum ipsum propius accedam, haud mihi videtur esse alienum quaerere, quae sit emendationis regula.

Ac de ipsis quidem codicibus cum quaestio profligata et ad exitum adducta sit, ne acta agere videar, non disseram: malo me conferre ad duorum singularem virorum auctoritatem, Bernardi Schmidti et Friderici Leonis. Qui viri in suo quisque genere diligentissime elaborantes tantum profecere, merito ut novam aetatem artis criticae, quae quidem in Senecae tragoediis versaretur, condidisse dicerentur.

Alter[1]) quidem rationes prosodiacas et metricas, ad quas poëta artem revocavit, eruit, alter vero eum, ad quem omnis est criticis opera dirigenda, codicem, cuius in dubio antea fuerant lectiones, tam diligenter contulit, ut gloriaretur, si quis eundem rursus aditurus esset, eum non multa, quae ipse neglexisset, inventurum.[2]) Sic illi viri viam muniverunt, nostrum est munitam insistere, idemque cum illi, re consentientes, differentes vocabulis, praeceperint, religiose nos id, quod nobis praeceperunt, sequi oportet. Schmidtius[3]) quidem haec dicit: ‚Talis igitur' — huc disputationis de codicibus summa redit — ‚talis igitur cum sit singulorum codicum inter se ratio, si via et arte rem gerere volumus, in recognoscendis novem prioribus fabulis hanc nobis principalem legem conservandam esse adparet, ut ne a codice Florentino sine summa necessitate discedamus.' Hactenus ille; similiter Leo[4]): ‚Itaque in futurum quoque,' inquit, unicum recensionis fundamentum Etruscus habebitur, cui ubique interpolatae editionis lectio adhibenda est et, si quando prima Etrusci manus periit, eius apographum Ambrosiano codice et Vaticano inter se comparatis restitutum, reliqua emendatoris sunt.' Haec siquidem testium sunt testimonia locupletium, Etruscum si sequemur ducem, de itinere disputationis forsitan liceat nobis esse securis: ferat nos dux deducatque eo, quo intendimus.

Hercules ad inferos descendit Cerberum inde abducere iussus. Unde ut ille victor redeat, chorus magnopere optat: ‚Evincas utinam iura ferae Stygis Parcarumque colos non revocabiles' (Herc. fur. 558,559). Id fore spem ait ille esse, quod Hercules iam antea aliquando manus cum mortis domino conserens superior discesserit: ‚Hic qui rex populis pluribus imperat, bello cum peteres Nestoream Pylon, tecum conseruit pestiferas manus telum tergemina cuspide praeferens: effugit tenui vulnere saucius et mortis dominus pertimuit mori' (560—565). Hac Herculis victoria a mortis domino reportata confisus etiam confidentius chorus Herculem

---

[1]) Bernardus Schmidt De emendandarum Senecae tragoediarum rationibus prosodiacis et metricis. Berolini 1860.

[2]) L. Annaei Senecae tragoediae Recensuit et emendavit Fridericus Leo. I. De Senecae tragoediis observationes criticae. II. Berolini. Apud Weidmannos A. MDCCCLXXVIII/VIIII (cfr. I, p. 16)

[3]) l. c. p. 4.

[4]) l. c. p. 15.

absentem monet: ‚Fatum rumpe manu, tristibus inferis prospectus pateat lucis et invius limes det faciles ad superos vias‘ (566 bis 568). Sed praeter hoc spei fundamentum, Herculis victoriam semel iam partam, alio etiam chorus fundamento nititur. Orpheus nonne inferorum regiam vicit carmine? Eandem regiam, carmine quae potuerit vinci, nonne multo esse veri similius victum iri viribus? ‚Quae vinci potuit regia carmine, haec vinci poterit regia viribus‘ (590, 591). Orpheos autem victoriam poëta ita describit, ut primum generatim nos de prospero totius rei eventu admoneat (‚immites potuit flectere cantibus umbrarum dominos et prece supplici Orpheus, Eurydicen dum repetit suam‘ 569—571), deinde ad rei narrationem ipsam progrediens Orphea apud inferos artis suae delenimenta experientem inducat (‚quae silvas et aves saxaque traxerat ars, quae praebuerat fluminibus moras, ad cuius sonitum constiterant ferae, mulcet non solitis vocibus inferos et surdis resonat clarius in locis‘ (572 – 576) doceatque, quanta sit illius cantu effecta inferorum commotio. Huc qui pertinent versus (577 bis 581), eos in disceptationem vocaturus ita exscribam, ut uno in conspectu et corruptos et emendatos videas:

Deflent Eurydicen † Threici**ae** nur**us,**
deflent et lacrimis difficiles dei,
et qui fronte nimis crimina tetrica
quaerunt ac veteres excutiunt reos
flentes Eurydicen iuridici sedent.

Deflent Eurydicen**,** Threici**am** nur**um**
deflent et lacrimis difficiles dei,
et qui fronte nimis crimina tetrica
quaerunt ac veteres excutiunt reos
flentes Eurydicen iuridici sedent.

Haec est codicum lectio, nisi quod v. 577 (deflent Eurydicen Threiciae nurus) in A post versum 580 (quaerunt ac veteres excutiunt reos) positus est et in E pro eiusdem (577) versus Eurydicen extat Eurydicem. Sed haec levia, grave illud idemque subobscurum; grave, quod magna ex parte totius eo loci sententia continetur, subobscurum ideo, quia nemo adhuc exstitit, qui, Threiciae nurus quid sibi vellent, explicaret. Quas fieri non potest, ut quisquam alias intellegat nisi mortuarum umbras Thraeissarum, quae corporibus tumulis datis Stygia antra ingressae sunt. Sed qui fit, ut hae Eurydicen deflere de innumerabilibus umbris dicantur solae? Quia Eurydice ipsa quoque Threicia nurus est? Sed quid huc patria? Nonne valde est ridiculum omnibus cantum audientibus certos quosdam (Threicias nurus, deos, iudices) eligi, qui ceteris

obmutescentibus ut praeficae, quae conductae plorant in funere, flendi officio fungantur? Nonne contra exspectamus in tanta tamque nova re (mulcet non solitis (!) vocibus inferos 575), insignis ut fiat artis musicae vis, nullius omnino, cuius quidem auribus modi acciderint flebiles, oculos esse siccos? (cfr. Schmidti de hoc loco disputationem, quae est in eo libello, qui inscribitur Observationes criticae in L. Annaei Senecae tragoedias Jenae 1865 p. 16 s.). Itaque quare immenso ex umbrarum numero nominatim proferantur Threiciae nurus, de reliquis omnibus magnum sit silentium, cum nemo sit, quin miretur, ad umbras esse referenda nodosa illa vocabula (Threiciae nurus) si quis tamen nihilo minus defendet, eum vehementer erraturum adducor, ut existimem. Neque vero umbras omissas hoc quidem quisquam loco desiderabit aut requiret. Nam illa de Orpheo et Eurydice fabula idcirco, ut supra dixi, a poëta narratur, ut ita spes confirmetur chori exspectantis cupientisque Herculem inferorum evasurum esse victorem. Evadet autem non si umbras vicerit, sed si umbrarum dominos perdomuerit; quibus perdomitis cum nonnihil sane concedendum sit utilitatis ad omnes omnino inferos redundaturum esse, versus 566—568 (‚fatum rumpe manu, tristibus inferis prospectus pateat lucis et invius limes det faciles ad superos vias'), quoniam non ad vincendos istos dominos, sed ad devictorum pertinent fructum et utilitatem, quominus ad umbras quoque referamus, tristes inferos (v. 566) interpretantes cum omnes inferos, tum eos maxime, qui gravi dominorum iugo oppressi Herculis victoria exsolventur i. e. umbras, nihil impedit: illud tenendum est nihil non interesse subigi eos, penes quos arbitrium et ius sit. Itaque dicitur semper de dominis umbrarum: Parcarumque colos 559; hic, qui rex populis pluribus imperat 560; mortis dominus 565. Neque aliter Orpheus efficere potest, ut inferi morem sibi gerant nisi ita, ut eos, penes quos summa rerum apud illos est, in suam partem trahat, deos (deas) et iudices; itaque dubium non est, quin ei, qui 575 vocantur inferi, eidem sint atque ei, qui 570 vocantur umbrarum domini, soli dei et iudices umbris non declaratis aut significatione appellatis. Quae cum ita sint, iure illos poëtam nominasse, iure has omisisse videmus.[5])

---

[5]) Itaque Withofi coniecturam ‚deflent Eurydicen **Tartareae** nurus' non probo. Interpretandi causa haec ille addit: ‚Id est, omnes omnino mulieres in Inferno,

Aliter res se habet Herc. Oet. 1031 — 1089: illo loco quoniam id demonstrare poëtae erat propositum ‚aeternum fieri nihil' (cfr. v. 1089: ‚quae nata est iterum perit;' v. 1099: quod natum est, quod erit, mori . . .;' vv. 1102 ss.), necesse erat depingi copiose atque describi Orpheos miram solitoque maiorem ingenii vim, quo magis emineret atque extaret imago dirae necessitatis nulla mora impeditae, quominus ad aeternas suas leges omnia convertens vanosque hominum quamvis virtute praeter ceteros florentium labores irridens ad destinatum finem res humanas perduceret. Quodsi, ut eo, unde huc digressus sum, revertar, umbras hoc, quo de agitur, loco omittendas cum causa censuisse poëtam probasse videor, dei restant et iudices, deorumque vocabulo omnes dei deaeque, qui aliqua ratione cum inferis connecti solent (etiam Parcae, Eumenides, reliqui, non Pluto solum et Proserpina) uno nomine comprehenduntur, iure ut neminem neque deum neque deam desideremus. Hoc posito atque concesso ultra progrediamur! Est autem hoc potissimum monendum: duae maxime suppetebant res, quibus rebus admiranda illustraretur et singularis deorum iudicumque commotio: et flendi verbum ab illis alienissimum (cfr. 578: deflent et lacrimis difficiles dei; 579: et qui fronte nimis crimina tetrica . . .) identidem repetere licebat et iterum ac tertio levem illam vilemque commonefacere mulierculam, cui ridicule lacrimas dedissent inferi. Quam rei amplificandae et augendae occasionem tu praetermisisse opinaris Senecam? Immo, nisi me omnia fallunt, arripuisse eam videtur scribens: Deflent Eurydicen, Threiciam nurum deflent et . . dei et . . . . . flentes Eurydicen iuridici sedent. Ita ter flendi verbum scriptum legimus (577: deflent; 578: deflent; 581: flentes), ter Eurydices nomen (577: Eurydicen; 577: Threiciam nurum, ad quam mulieris significationem poëta non confugere non potuit; 581: Eurydicen). Consentaneum autem est, cum mira artis musicae vis sit depingenda, in ipso rei principio et deflendi verba et defletae nomina coacervanda esse, in fine non item: „Es beweinen die Eurydice, (man denke sich) das thracische Weib beweinen sowohl die Götter, als auch die Richter sitzen weinend über Eurydice da."

---

aut campis Elysiis, eius parte, degentes.' (Johannis Hildebrandi Withofii praemetium crucium criticarum praecipue ex Seneca tragico. Lugduni Batavorum 1749, p. 55.

Nihil est igitur, cur offendamus in eo, quod bis dei deflere Eurydicen, semel iuridici dicuntur. Corruptela denique ipsa quomodo orta sit, cuivis facile intellectu est: quis est enim, qui, haec si legit non distincta: ‚Deflent Eurydicen Threiciam nurum deflent et lacrimis difficiles dei' — quis est igitur, qui non requirat, quo illud prius deflent referat, quis, qui id non sumat ex ‚Threiciam nurum'? Hoc aliquis forsitan temere mutaverit in ‚Threiciae nurus. Ac ne forte huic sententiae nimis diffidas, reicio te ad alia, in quibus si non eundem, at similem certe librarii errorem deprehendas. Herc. fur. 483 s., et qui hospitali caede manantes foci bibere iustum sanguinem Busiridis.' Haec quin sit genuina poëtae manus nemo dubitat. Sed fac errasse librarium scribentem pro manantes, id quod facile ignoscas, minantes: idem pro hospitali caede fieri non potuit, quin substitueret hospitalem caedem. Et est haec lectio in codice Etrusco (hospitalem caedem minantes). Herc. fur. 759 ‚terretque mensas avida Phineas avis.' Id cum deteriore tragoediarum recensione tradatur, codex Etruscus vitiose hoc exhibet: ‚terrentque mensas avidae fineas (sic!) aves.' Vitii origo quae sit, apparet. Nam qui pro terretque scripserit terrentque, is facere non poterit, quin pro avida avis scribat avidae aves, ut habeat nimirum, quo terrendi verbum referat. Possum multa exempla afferre; sufficiant haec: Troad. 761 (et amplexus ultimo avidos dolore satio E pro et amplexu ultimo avidos dolores satio); Troad. 919 (spartana puppe vestra si secui freta pro spartana puppis vestra si secuit freta); Oed. 569 (per valles cavas pro ter valles cavae); Oed. 698 (facitis exemplum, ut sequar (sed a ex o 1. m. E) pro facitis exemplum: sequor; hoc loco librarius nulla re nisi particula ut, quae per errorem verborum contextum invasit, inductus est, ut id, quod recte scripserat (sequor), rasura deleret); Agam. 867 (res agitur intus magna per annos decem pro res agitur intus magna par annis decem); Herc. Oet. 693 (me nulla vocent verba potentem pro me nulla vocet turba potentem). Haec docent, quam facile menda oriantur; neque quisquam erit, qui illum Herculis furentis locum eodem exemplo potuisse corrumpi atque hos locos, quos modo attuli, non concedat. Nam error habet errorem librariusque, cum minima in re mediocriter lapsus erat, ut posterius priori non convenire sentiret, profecto, sicuti decebat, scripta non iterum perlegebat aut examinabat, sed ad erratum suum quacumque

ratione totum textum accommodare satius ducebat. Visum est hoc mihi cum ad multa quadrare tum cadere in hos Octaviae fabulae versus (458 ss.):

Ner. Metuant necesse est — Sen. Quidquid exprimitur grave est
Ner. Jussisque nostris pareant. Sen. Justa impera.
Ner. Statuam ipse. Sen. Quae consensus efficiat rata.
Ner. † **Despectus** ens**is** faciet. Sen Hoc absit nefas. Ner. **Des pectus** en**si** faciet . . .

Nominativi ensis quae sit origo, facile ad intellegendum est. Etenim is, qui scriptum legerat despectus ensi faciet (despectus, non des pectus Leo I, 8) cum reputaret, quorsum quidque pertineret, quoniam, quo dativus ensi esset referendum, nesciebat, ita rem nodosam enodavit, ut obscuro ensi id, quod promptum esse et paratum videbatur, ensis, supponeret. Et in eis casibus, qui littera ‚s'cadunt, quam fit saepe, ut librarius haereat, quid faciat! Hoc adiungo, ut s et omissum nonnumquam esse et nonnumquam additum moneam praecaveamque, ut ne quis nimis me urgeat codicibus usus sociis. Praebent sane hi ensis, non ensi, sed in hac re quam habere auctoritatem et quam fidem possunt! In quibus s modo scriptum, modo non scriptum, modo rasura deletum est: Herc. fur. 184 suis E erasa s; 248 stabuli corr. ex stabulis 1. m.? E; 316 timoris s eras. E; 1070 futuris E pro futuri; Troad. 210 virtuti codd. pro virtutis; 354 belli E pro bellis; 476 qui E pro quis; 622 post sola eras. s E; 761 amplexus E pro amplexu; 762; 931 qua E pro quas; 1113 patri E pro patris; Phoen. 248 lucis pro luci. Ac ne forte mireris, quod, cum codice Etrusco Octavia non sit tradita, tamen omnia exempla ex hoc ipso codice petiverim, nunc exempla e codice A hausta congeram; est autem id facillimum, nam quae in codice accuratissime et diligentissime scripto saepissime inveniuntur errata, ea quin in eo codice, quem qui scripsit, vix dici potest, quam fuerit in scribendo socors et neglegens, inveniantur, quis tandem est, qui dubitet? Herc. fur. 24 ortu pro ortus; 257 capitis pro capiti; 82 6/7 tum sub Herculea caput abscondit umbra pro tum sub Herculeas caput abscondit umbras; 842 noctis pro nocti; 1051 gravis pro gravi; 1127 telum Scythici leve coryti pro telum Scythicis leve corytis; Troad. 15 congesti pro congestis; 16 adustis pro adusti; 202 choro pro chorus; 269 alii pro aliis: 299 homini pro

hominis; 827 virginis Pleuros pro virgini Pleuron; 932 vadosos pro vadoso et sinus pro sinu. Ac ne in Octavia quidem frustra id quaeras: Oct. 224 noctis NT pro nocti; 225 coniugi M pro coniugis; 308; 867; 887. Itaque si ensi pro ensis legemus, non vereor, ne nimis a codicibus recessisse arguamur. Jam vero despectus, quod ita in codicibus conglutinatum est, bona venia tua dissolvere liceat: non est enim haec lectionis traditae mutatio, sed alia interpretatio, nisi vero una lineola dempta (nam deme unam lineolam: iam fiet ex despectus des pectus) vehementer morose iudicas commutatum esse id, quod sit traditum codicumque auctoritate firmatum. Ita quoniam de singulis verbis dixi, sequitur, ut de universa sententia late (est enim res subdifficilis) disseram. Neronem poëta cum Seneca consiliario colloquentem inducit. Monet hic illum, ut caveat, ne nimis se severe aut crudeliter gerat. Sed imperatoris aures ad omnes preces admonitionesque surdae sunt. Cui simultatem intercedere cum populo sentimus. Alter alterius voluntati diffisus ab insidiis se tutum praestaturus est. Et Nero quidem, quam potest maxime, populum contumacem premit, populus spes exulum et coniuratorum fovet (v. 468); animique conscientia excruciatus contremiscit ille metuens, ne de medio tollatur, et ob eam rem ipse hostes sibi suspectos ense sublaturus est. Confer quaeso versus 462—471: ‚An patiar ultra sanguinem nostrum peti, inultus et contemptus ut subito opprimar? Exitia non fregere summotos procul Plautum atque Sullam, pertinax quorum furor armat ministros sceleris in caedem meam, absentium cum maneat etiam ingens favor in urbe nostra, qui fovet spes exulum. Tollantur hostes ense suspecti mihi, invisa coniunx pereat et carum sibi fratrem sequatur. Quidquid excelsum est cadat'; 530—532: ‚Nos quoque manebunt astra, si saevo prior ense occuparo, quidquid infestum est mihi dignaque nostram subole fundaro domum'. Teneamus igitur illud Neronem animo malam opinionem de populo imbibisse semperque angi et cruciari veritum, ne undique ab interfectoribus per insidias circumveniatur. Jam intellegimus, quod nefas Seneca perhorrescat, cum dicat ‚hoc absit nefas'. Significasse enim imperator existimandus est confidere sese populum, si ita res ferat, tyranni caedem non esse reformidaturum. Quodsi hoc mihi contigerit, ut verbis ‚des pectus ensi faciet' significari caedem tyranni a populo exoptatam demonstrem — ad ‚hoc absit nefas' audiendum

est a civium Romanorum cogitatione — processisse aliquantum ad obscuri loci rectam interpretationem mihi videbor. Ac primum quidem quaeritur, quid sit dare pectus ensi. Nempe trucidandum se praebere cfr. Phaedr. 63 ss: tibi dant variae pectora tigres, tibi villosi terga bisontes latisque feri cornibus uri (poëta dicit de Diana, venatorum patrona); Phaedr. 615 ss: non, si (sc. me iubeas) per ignes ire et infesta agmina, cuncter paratis ensibus pectus dare. Deinde des faciet esse pro ut des faciet scito cfr. Med. 905 ss: hoc age et faxis sciant, quam levia fuerint quamque vulgaris notae, quae commodavi scelera; Med. 189: iubete sileat; Med. 517 certemus sine; Herc. fur. 924 s. finiat genitor tuos opta labores; Phoen. 108 s.: faciet, ubicumque est opus, ibi sit (Leo I, p. 2 coniecit facinore ubicumque est opus, ibi sit; haec coniectura supervacua est, cum in Etrusci lectione acquiescere liceat. Sic enim Oedipus mortem desiderans comitem fidam, Antigonen dico, alloquitur: ‚Si fida es comes, ensem parenti trade, sed notum nece ensem paterna. tradis? an nati tenent cum regno et illum? faciet, ubicumque est opus, ibi sit — relinquo . . .‘ Hoc ‚faciet, ubicumque est opus, ibi sit‘ i. e. ‚faciet ensis ipse, ut ibi sit, ubicumque opus est‘ nonne mirifice cum tota sententia convenit?). Jam iterum lege hos versus (460. 461):

Ner. Statuam ipse. Sen. Quae consensus efficiat rata.
Ner. Des pectus ensi faciet. Sen. Hoc absit nefas:

versum 461 (des pectus ensi faciet) ex versu 460 (quae consensus efficiat rata) ita supplendum esse facile concedes: ‚consensus faciet ratum, (ut) pectus ensi des‘ nec non mihi assentiere interpretationis causa ad ‚hoc absit nefas‘ adiungenti ‚a civium Romanorum cogitatione‘. Reliquum est igitur, ut de ‚des‘, pro quo ‚dem‘ exspectare videaris, dicam. Illa persona usus Nero cum Senecae respondeat, efficit, ut id, quod respondet, latius pateat longiusque manet: vertentes talia e latino in germanicum sermonem nos dicimus ‚man‘. Herc. fur. 463. 464: Lyc. Quemcumque miserum videris, hominem scias. Amph. Quemcumque fortem videris, miserum neges; Troad 254: quo plura possis, plura patienter feras; 425: miserrimum est timere, cum speres nihil; Med. 428: trahere, cum pereas, libet; Ag. 996: El. Mortem aliquid ultra est? Aeg. Vita, si cupias mori. Thyest. 443: Tant. Summa est potestas — Thy. Nulla, si cupias nihil; Phaedr. 876: alium silere quod voles, primus sile.

Haec si recte disputavi, verba ‚consensus ratum faciet, ut pectus ensi des‘ significant ‚si populum, id quod tu mihi suades, quid statuam, consulere animum inducam, una omnes mente consentient tyrranni occisione nihil fore reipublicae salutarius efflagitabuntque a me, ut victimam me praebeam iratis‘. Ad haec suo iure Seneca respondet: ‚hoc absit nefas‘. Nam aut nihil omnino nefas dici potest, aut nefas est populum quasi iusta contione advocata rogatum sciscere, imperator ut supplicium subeat. Sed tempus est iam hinc abire me, cumque, de ‚despectus ensis faciet‘ cum disputarem, duo verba in unum coaluisse videremus, versus Octaviae 34—40 tractandi esse visi sunt: hoc loco contra atque illo duos quidem librarios id verbum, quod poëtam usurpavisse demonstrabo, divellisse animadvertemus:

Fulgore primo captus et facie nova
fallacis aulae quisquis attonitus stupet,
† **sub uno** latentis ecce Fortunae impetu
modo praepotentem cernat eversam domum
stirpemque Claudi, cuius imperio fuit
subiectus orbis paruit liber diu
Oceanus et recepit invitus rates

Fulgore primo captus et facie nova
fallacis aulae quisquis attonitus stupet,
stupens latentis ecce Fortunae impetu
modo praepotentem cernat eversam domum
stirpemque Claudi, cuius imperio fuit
subiectus orbis, paruit liber diu
Oceanus et recepit invitus rates.

Sub uno ΠΦ, uno Σ, subito L (codice Etrusco novem Senecae fabulas contineri satis inter omnes constat; itaque ad Octaviam recensendam alii codices adhibendi sunt; hos Leo enumerat II, p. 339; cfr. 340, 341). Atque ‚subito‘ habet sane, quo se commendet, neque editores id respuerunt; sed hanc ego lectionem, utpote quam videamus codice L tradi uno, cum causa iudico esse suspectam; codicem autem Σ, uno qui habet, ne sequamur, monet magnopere Leo, cum (II, p. 341) scripturas eius, ut genuinae habeantur, fulciri oportere dicat reliquorum codicum unius alteriusve testimonio. Quamobrem nihil aliud restat nisi, si quidem hoc loco sanatione erit opus, eam revocare ac dirigere ad codices ΠΦ (sub uno). Et recepit Leo crucem adpingens ‚sub uno‘, quamquam idem, coniecturam suam (subito involantis) cum excogitaret, vestigia manus poëtae, quae extant in codice L, haud prorsus neglexisse videtur. Jam ‚sub uno‘ cum metro reiciatur, exsistit hoc loco quaestio subdifficilis, num in Octavia item, sicut in novem prioribus fabulis (Leo I, p. 8, 9), id, quod in codicibus diremptum legatur, temere nobis liceat conglutinare. Cuius rei in illa fabula unum

exemplum inveni: 972 tandem Phariae ΣΦΙΙΙ pro Pandatariae, quod ipsum, coniectura Lipsi quamquam palmari cum restitutum sit, claudicare et vacillare non cunctor concedere. Sed fac librarios in libris suis vocabulum invenisse unum, fac id illos, parum clare cum scriptum esset, interpretatos esse ‚subuno' (cfr. subito (!) L): postea profecto aliquis, sive temere ac fortuito id fecit, sive ratione et consilio fecit, miro vocabulo ‚subuno' anteposuit ‚sub uno'. Sumamus igitur (quamquam, ut supra dixi, in lubrico versamur) in codicibus antiquitus fuisse ‚subuno' idque ipsum ita scriptum, vix ut quisquam legere posset: audacius ‚stupens' coniecisse ne iudicer non vereor, et si quis tamen invehatur in me ut codicibus non satisfacientem, illum orem atque obsecrem, de medicis ut recordetur, qui nonnumquam ulceribus curationes adhibere cogantur acriores. Ita quam de variis medelis medelam elegi, ea sit anceps, sed est eadem efficacissima. Quam ne probes, non modo nihil impedit, sed etiam contextu verborum quodammodo adduceris, ut amplectare. Namque cum praecedat ‚attonitus stupet', dubium non est, quin, idem verbum si repetemus, oratio mirum quantum augeatur: ‚Stupor,' inquit nutrix, ‚nos defigit intuentes ‚fulgorem et faciem fallacis aulae', obstupefactos nos tenet miraculum secundarum repentinae fortunarum ruinae'. Ac si obiter codices inspexeris, quidquid hoc loco mutaverim, salva codicum auctoritate mutari licere dices, ut, si quis, id quod supra significavi, forte codicum contra me audeat suscipere patrocinium, is, id cur faciat, nihil sane habeat. Nam primum quod litteram t addidi scribens pro ‚sub' ‚stup', saepissime fit, ut codices litteras omittant: Oct. 13 manet Σ pro remanet; 21 suae N pro saevae; 121 inerti Σ inherti H pro inhaerenti; 123 sonos Σ pro somnos; 127 stige RT pro Stygiae; 135 invocati M pro invocanti; 162 stiga N pro Stygia; 163 natura N pro naturae; 165 que M pro atque; 166 que Σ pro quoque; 184 levat R pro relevat; 249 divo Φ pro insitivus; 305 tarquino HD pro Tarquinio; 346 luctus Σ pro fluctus; 348 refugit M pro resurgit; 574 prohibeor QLD pro prohibebor; 801 edem ΣΟΗ pro sedem; 910 misera Σ pro miseranda. Ac non hoc solum saepe accidit, ut litterae in codicibus evanescerent, sed etiam non semel factum est, ut genuinis litteris litterae perperam admiscerentur: Oct. 7: alchionias ML alcionias Q pro alcyonas; 90 (cfr. 982): superbos ΣΙΙΡ pro superos; 116: offeretur M pro offertur; 179: lanbentem T pro labentem;

228: obrueret ΦO pro obruere; 270: cum flectu M pro cum fletu; 293: martisque RD pro Martis. Quae cum ita sint, si hoc mihi sumpsi, ut litteram t excidisse contenderem, id meo mihi iure fecisse videor. Deinde quod pro ‚sub**u**no' scribendum censui ‚stup**e**ns', quoniam litterae E et U ita sunt inter se similes, haud raro ut altera in alteram abeat, nihil est causae, cur reprehendar. Oct. 311: scel**e**ra magnum Σ pro saec**u**la magnum (sc. nefas videre); 336: tu N pro te; 618: puto LQ pro peto; cfr. Herc. Oet 713: simul A pro semel; Troad. 1045; ac ne litterarum quidem P et B dissimilitudo tanta est, ut, inde ne ad reprehendendum id, quod conieci (‚stu**p**ens' pro ‚su**b**uno') merito ac iure tamquam ansam quaeras, metuam: Herc. Oet. 399: obtabat E pro optabat; 552: rapidum A pro rabidum. Relinquitur, ut factum esse non numquam demonstrem, litterae S et O (‚stupen**s**' pro ‚subun**o**') ut inter se commutarentur. Sed id quidem certis exemplis demonstrare non possum; illud o cum in archetypo fuisset, nemo, opinor, librarius suspicatus est subesse vitium; nemo id, quod scriptum invenisset, mutandum esse censuit, praesertim cum praepositio ‚sub' ablativum flagitare videretur; ita factum est, ut archetypi lectio, quae ipsa fuisset erroris plena (‚subuno') tempore procedente, cum quidam syllabas dissolvendas ac divellendas legendumque pro ‚subuno' esset opinatus ‚sub uno', novo, ut plerumque fit, librarii alicuius errore commutaretur commutataque lege illa grammatica, qua, ut praepositionem ‚sub' cum ablativo coniungamus, monemur, commendaretur ita et quodammodo sanciretur, vix ut quisquam illud o in dubium vocare auderet. Utique non continuo, si hoc mihi non contigit, ut litterarum O et S commutatarum exempla reperirem, coniectura ‚stupens' pro ‚subuno' videatur esse reicienda. Sed de hac quidem re plura me dicere quid attinet? Alio igitur loco iam, quid possim, periclitabor, Herc. Oet. versus 1316 – 1324 dico:

Supplices tendo manus
ad te, noverca: sparge tu saltem, precor,
telum (perire feminae possum manu)
iam fracta, iam satiata — quid pascis minas?
quid quaeris ultra? supplicem Alciden vides,
et nulla tellus, nulla me vidit fera
te deprecantem, nunc mihi irata † **pater**
opus est noverca — nunc tuus cessat dolor?
nunc odia ponis? parcis ubi votum est mori

Supplices tendo manus
ad te, noverca: sparge tu saltem, precor,
telum (perire feminae possum manu)
iam fracta, iam satiata — quid pascis minas?
quid quaeris ultra? supplicem Alciden vides,
et nulla tellus, nulla me vidit fera
te deprecantem. nunc mihi irata **quater**
opus est noverca — nunc tuus cessat dolor?
nunc odia ponis? parcis ubi votum est mori.

Irata pater E, irata quidem A; et propter id ipsum coniecturam meam tibi arrisuram esse spero, quod primam vocabuli eius, quod in dubium venit, litteram vides ita in archetypo scriptam fuisse, ut eam et Q et P interpretari liceret. Itaque pluribus locis hanc litterarum commutationem factam esse non opus est docere. Quamquam, quo certiore nitar fundamento, haec illustria exempla afferam: Thy. 731: querone E pro puerone; Herc. Oet. 1475 patiens E pro quatiens. Itaque et ‚pater' ferri non posse et ‚quater' pro illo positum non solum cum sententia convenire, sed etiam maxime esse idoneum, quo amplificatio efficiatur Seneca dignissima, demonstrandum est. Itaque inde a versu 1290 ordientes accurate ac diligenter, ut contextum verborum penitus intellegamus, qualis sit, Herculis querelas et preces, quo valeant, exquiramus! Deianira dolo Nessi mota vestem veneno tinctam marito misit. Quam ubi primum ille induit, factum est, ut veneni vim sentiret. Quamobrem, quod coniugis insidiis oppressus iaceat, queritur petitque auxilium a Jove patre (1290—1314), a Junone noverca (1316—1324), ab hominibus (1325—1336). Unde apparet versus 1290—1336 in tres partes esse tribuendos. ‚Converte', inquit Hercules, ‚voltus ad meas clades **‚pater'** (1290); ‚supplices tendo manus ad te, **noverca'** (1316 s.); ‚o **terra et urbes,** non facem quisquam Herculi, non arma tradet (1325 s.) Ac patrem quidem ita Alcides alloquitur: ‚Numquam ad tuas manus confugi — hic aliquid dies optare iussit; unicum fulmen peto, giganta crede: non minus caelum mihi asserere potui — dum patrem verum puto, caelo peperci; sive crudelis, pater, sive es misericors, commoda nato manum properante morte et occupa hanc laudem tibi.' Deinde (1307 ss.): ‚Vel si piget', inquit, ‚manusque detrectat nefas,

emitte Siculo vertice ardentes, pater,
Titanas in me, qui manu Pindon ferant
† **aut Ossa** qui me **monte proscripto** opprimat.'

emitte Siculo vertice ardentes, pater,
Titanas in me, qui manu Pindon ferant,
arcesse, qui me **morte pro scripta** opprimat.'

Hanc coniecturam, ubi versum 1322 (nunc mihi irata quater opus est noverca) interpretatus ero, defendam; hoc ipso loco eam esse afferendam ideo existimavi, quod facilius contextus verborum hoc modo perspici posse videbatur. Orat igitur Hercules patrem, ut vel Titanas in se Siculo vertice emittat, vel alium aliquem arcessat, qui se opprimat: Bellona se stricto petat ferro; Gradivus

trux in se armetur; Pallas, soror ‚tantum ex parente', cuspidem in fratrem iaculetur. Ita precibus ille Jovem fatigat; sed subito, quasi a patre impetraturum se esse id, quod velit, desperet, instare patri desistit, incipit novercae instare, ut aerumnas vitae suas graves finiat. Supplices se', ait, ‚tendere manus ad illam (sc. novercam), spargat illa saltem telum; perire enim se iam feminae manu posse; quid quaerat ultra? Supplicem illam videre Alciden, et nullam tellurem, nullam feram se vidisse illam deprecantem: nunc sibi irata noverca opus esse'. Itaque cum fieri non possit, patrem ut iterum adeat, cum adire coeperit novercam, verba ‚nunc mihi irata, **pater,** opus est noverca' vitiosa esse apparet. Neque est difficile, si, quid poëta dicat, deliberes, invenire id, quod ad sententiam conveniens sit. Juno enim Herculem quacumque ratione exagitatura excogitare numquam desinebat labores, quos illi imponeret: sed frustra contendebat atque elaborabat, ut Alciden opprimeret, ut, cum inferos quoque ille perdomuisset, dea, quid iam faceret, dubitaret (cfr. Herc. fur. 30 ss.). Has aerumnas Hercules recordatur moriturus queriturque, quod, incolumem quae se continenter cruciaverit, eadem sibi desit moribundo: tum iratae odium invitum se pertulisse atque coactum, nunc illi licere omnem iram evomere in volentem et cupientem; tum aegre novercae iussu labores se subisse, nunc gestire se laborem subire gravissimum; nihil iam esse, quod vehementius exoptet, quam ut Juno nunc ipsum, ut omne odium in se profundat, ira exardescat, non illa ira solita, quam iam saepissime nullo suo periculo senserit, sed insolita eaque, quae extra modum excedat. Et talem profecto iram significat poëta, cum miro suo usitatoque more rem amplificans et ornans dicat: ‚nunc mihi irata **quater** opus est noverca'. Haec verborum affectatio nimia est taediique plena et risu corruamus, si quis nostratium eodem vel simili dicendi genere utatur: sed Seneca adeo non ab hoc verborum tumore abhorret, ut opimum quoddam genus dicendi et tamquam adipatum adamavisse existimandus sit. Ac ne quid desit, ad extremum conferas, quaeso, Phaedr. v. 694: O ter quaterque prospero fato dati (quos hausit et peremit et leto dedit odium dolusque). Itaque cur in hac re commorer, causam esse non video; redeamus igitur ad illum locum (Herc. Oet. 1310), quem occasione oblata supra exscripsi. Legitur autem versus 1310 in codice A hoc modo scriptus: aut te Ossa

qui me monte proiecto opprimant, in codice Etrusco hoc modo: aut Ossa qui me monte proscripto opprimat. Hanc Etrusci lectionem, quod, quidquid coniciemus, id omne ad illum codicem accommodandum erit, delegi, qua emendationem fundarem; codicis igitur A nullam rationem habebo. Quamobrem primum monebo illud, quod Leo (I, 8) dicit, certo quodam corruptelarum genere Etrusci archetypum nos discere et maiusculis litteris et (idque ipsum huc pertinet) verbis inter se nondum segregatis exaratum fuisse; alterum corruptelas docere, quales sint Tro. 1160 egeus (coetus). Oed. 1038 fligere (eligere). Thy. 810 fervitur (struitur). Agam. 538 magis (Aiacis). Med. 655 morsus (Mopsus); alterum innumeros errores verbis male diiunctis ortos, ut Phoen. 341 frigiamque flammam et eterias tali soli (frugemque flamma metite natalis soli). Hf. 18 mundus puellas fert. anobis lac egent (mundus puellae serta cnosiacae gerit). Itaque finge animo in archetypo fuisse scriptum ARCESSE, idque abiisse primum in ARC**O**SSE (Herc. Oet. 713: PR**O**MERE pro PR**E**MERE; 847: PREC**O**R pro SOC**E**R), deinde in ARCOSS**A** (Herc. Oet. 452: F**A**RE pro F**E**RE; 1494: IPS**A** pro IPS**E**), tum in AVT OSSA (Thyest 1005: E**T** QUID pro E**C**QUID; Agam. 503: LA**T**ERA pro LA**C**ERA; 680: AL**T**IONES pro AL**C**YONES; Herc. fur. 1278: FE**T**I pro FE**C**I; Herc. fur. 208: **V**ETITO pro **R**ETRO): finge igitur animo ita singulas litteras tempore procedente inter se esse commutatas, speciosum forsitan dicas esse illud, quod coniecerim (‚arcesse' pro ‚aut Ossa'); cfr. Thyest. 52 s.: misce penates, odia, caedes, funera arcesse; ac ne offendas nimis in constructione ‚arcesse, qui opprimat' cfr. Oct. 438 s.: mitte, qui Plauti mihi Sullaeque caesi referat abscisum caput. Accedit, quod, cum ‚Pindon' antecessisset, facile fieri potuit, ut librario Ossae in mentem veniret. Pro ‚monte' autem, quod in codicibus est, ‚morte' duabus de causis licet recipere: quarum altera inde mihi videtur esse repetenda, quod montis nomen idcirco suspectum est, quia, quid fuerit causae, cur eo librarius delaberetur, nemo est, qui non penitus videat: nam de Pindo et Ossa cum poëta dicat, dicat necesse est de montibus potuitque illud vocabulum (litteras parum fuisse claras facile suspiceris) pro ‚morte' legi; altera autem causa inde repetenda est, quod saepissime fit, ut verba similia inter se permutentur: Herc. Oet. 52: vagus pro vacuus; 64: fregisse pro fecisse; 68: menses

pro messes; 208: fama pro fata; 514: victor pro vector; 534: impulit pro intulit; 545: umero pro numero; 550: condam pro quondam; 564: fabularum pro famularum; 567: novus pro navus; 650: choro pro coro; 684: placidas pro placitas; 800: tepida pro trepida; 814: vinctus pro victus; 827: capit pro carpit; 927: lassi pro laesi; 1016: creuit pro crepuit; 1021: labitur pro dabitur; 1051: lassatam pro laxata; 1077: excessit pro excussit; 1098: parcat pro Parcas; 1102: regibus pro legibus; 1137: austris pro astris; 1198: facto pro Fato; 1201: mortis pro sortis; 1211: morte pro mole; 1212: mortiferum pro montiferum; Phoen. 31: montem A pro mortem. Itaque pro ‚monte proscripto' cum causa scribo ‚morte pro scripta': nam et Etrusci archetypum verbis inter se nondum segregatis exaratum fuisse supra didicimus (pro scripta, non proscripta), et is, qui legerat monte, facere non potuit, quin mutaret proscript**o.** Jam vero lege versum Herc. fur. 190: nulli scriptum proferre diem (sc. licet): tum ‚mortem scriptam' recte interpretabere. Significat enim Hercules mortem scriptam eam mortem, quae coniugis machinatione quadam et Nessi insidiis destinata et quasi praeparata videatur: ita mori dedecet Herculem; nam cum indignum sit a pari vinci aut superiore, tum multo est etiam indignius ab inferiore. Haec causa est, cur filius patrem oret atque obsecret, ne veneno se a coniuge perfida oblato turpiter de vita decedere sinat; concedat sibi, ut manus conserat cum Titanibus vel congrediatur cum aliquo, cuius vires tantae sint, ut superiorem eo esse honori, inferiorem non dedecori sit; arcessat hostem, qui fraude et dolo abstinens palam et aperte decertare velit. Versum autem Herc. Oet. 1322 cum supra defenderem, versus eiusdem fabulae 1652 mihi in mentem venit et conari animum induxi, si illa coniectura (quater) adiutus hunc locum emendare possem. Eo enim (Herc. Oet. 1648 ss.) Hercules:

‚accipe haec', inquit, ‚sate	‚accipe haec', inquit, ‚sate
Poeante, dona et munus Alcidae cape	Poeante, dona et munus Alcidae cape.
has hydra sensit, his iacent Stymphalides	has hydra sensit, his iacent Stymphalides
et quidquid aliud eminus vici malum	et quidquid aliud eminus vici malum.
† **victrice felix,** iuvenis, has numquam irritas	**bis terque** felix iuvenis, has numquam irritas
mittes in hostem, sive de media voles . . .'	mittes in hostem, sive de media voles . . .'

Victrice felix E; victure felix. has enim numquam irritas A; Leo dicit sententiam per ‚sive' videri incohatam fuisse (e. g. sive

eris in acie). Et requiritur sive, cum subsequatur ‚sive de media voles auferre volucres nube, descendent aves et certa praedae tela de caelo fluent . . .‘ memoratque Leo (I, 62) particulam sive tantum secundo loco diiunctis sententiae membris non apparere nisi Herc. Oet. 1652. Est sane id gravissimum neque, si quis hac de causa meam coniecturam haud esse probabilem censeat, habeam, quod contra illum dicam. Causam igitur labefactatam me esse defensurum sentio; in difficilem nodum me incidisse probe scio. Sed nihilo minus spes me tenet fore, ut hoc mihi contingat, ut emendationem ‚bis terque‘ tibi probem. Quo ut perveniam, primum perlegas, quaeso, Leonis, quam supra dixi, annotationem (I, 62): ‚De particulae sive usu‘, inquit, ‚alio loco agemus; hic memorandum est tantum secundo loco diiunctis sententiae membris non apparere eam nisi 1652:

virtute (sic!) felix iuvenis has numquam inritas
mittes in hostem; sive de media voles
auferre volucres nube, descendent aves e. q. s.

cf. CFW. Müller über den gebrauch von sive p. 11‘: his ille verbis usus non dicit particulam sive tantum secundo loco omnino non inveniri, sed significat et quodammodo concedit fieri posse, ut illa particula tantum secundo loco inveniatur; neque quisquam in eo, quod sive semel idque secundo loco positum est, offendit praeter Leonem, qui haec proponit:

sive eris in acie, iuvenis, has numquam irritas
mittes in hostem; sive de media voles
auferre volucres nube, descendent aves e. q. s.

Adde, quod in codice Etrusco non sive de scriptum leginus, sed si de: quod quamquam ratione metrica reicere cogimur, tamen ‚sive‘ in codicibus fuisse non posse pro certo affirmari manifestum est. Haec si considerabis, ‚sententiam per sive incohatam fuisse,‘ si defendes, non ego quidem mirabor; mirabor, necesse si contendes esse eum, qui genuinam poëtae manum coniectura velit assequi, illud tenere e vocabulo victrice aliquo modo esse eliciendam particulam sive. Nam in ‚victrice‘ latere ‚sive‘ ego non adducor, ut existimem: non quo litterae nimis inter se sint dissimiles (nam vocis victrice quin et prior et altera pars abire potuerit in sive quis est, qui dubitet?), sed aliquid invenisse mihi videor, quod neque a codicum lectionibus discrepet et ad ea, quae poëta Her-

culem loquentem facit, accommodatissime dicatur. Hoc si tibi persuasero, ut comprobes, illud sive quid sibi velit, non iam quaeres, sed ea, quae tradita sunt, quoquo modo, quamvis videantur insolita atque inusitata, explanare studebis et explicare, qua ratione defendi possint. Itaque primum singulas litteras, ut solemus, inspiciamus! Et pro prima quidem syllaba VIC olim scriptum fuisse mihi persuasum est BIS (cfr. Herc. Oet. v. 1850: FLETU VIXQUE E pro FETU BISQUE et 1393: CINIS E pro SINIS), pro secunda syllaba TRI legendum esse videtur TER (cfr. Herc. Oet. 29: ERATIS DIES E pro IRATIS DEIS; Troad 70: PHYRGIUS E ‚lineolis corr.' pro PHRYGIUS; Troad 29: PHYRIGUM E pro PHRYGUM: littera R non suo loco est); tertiam denique syllabam CE ex QUE factam esse dico (cfr. Herc. Oet. v. 550: CONDAM E pro QUONDAM). Et BIS TERQUE quam dicitur ad sententiam accommodate! Alcides moribundus arcum (arcus 1648) poscit, ut eum sato Poeante (Philoctetae) dono det. Quem arcum quanti ille facit! ‚Has', inquit, (sc. sagittas) ‚hydra sensit, his iacent Stymphalides et quidquid aliud eminus vici malum'; ‚has numquam irritas mittes in hostem, sive de media voles auferre volucres nube, descendent aves et certa praedae tela de caelo fluent; nec fallet umquam dexteram hic arcus tuam; librare tela didicit et certam dare fugam sagittis, ipsa non fallunt iter emissa nervo tela' (1650 bis 1659) — tales sagittas, talem arcum qui acceperit, is nonne dignus erit, quem omnes laudibus celebrent? Hercules vero si illas sagittas, quibus hydram, Stymphalidas aliaque mala necavit, si illum arcum, qui certam semper dedit fugam sagittis, Philoctetae dat, nonne praeteritum tempus existimandus est recordari et, quam sibi gloriam pepererit, deliberans futuram Philoctetae gloriam augurari? Itaque si quisquam, Hercules recte dicit eum bis ter felicem esse, qui suas sagittas nobiles suumque arcum celebratum accipiat. Sic verum esse, quod Leo dicit Etrusci archetypum verbis nondum inter se segregatis exaratum fuisse hoc quoque loco vidimus; de reliquis, qui huc pertinent, locis nunc eligam Herc. fur. 353:

ars prima regni est **posse** † invidiam pati
ars prima regni est **pessimam** invidiam pati.

Posse invidiam EA. Verba autem sunt Lyci. Is enim Hercule absente Thebarum regnum occupavit; occupatum ut tueatur, Megaram, uxorem Alcidae, in matrimonium ducturus est: ‚alieno in

loco haud stabile regnum est; una sed nostras potest fundare vires iuncta regali face thalamisque Megara: ducet e genere inclito novitas colorem nostra' vv. 344—348. Quod aggressurus haut ille censet fieri posse, ut Megara sibi morem non gerat; id tamen si acciderit, vim se ait illi illaturum non curantem populi invidiam, si quae inde manatura sit: nam artem primam regni esse posse invidiam pati. Haec tamen lectio posse invidiam pati propter hiatum a Senecae consuetudine ac more abhorrentem non ferenda est. (Schmidtius de emendandarum Senecae tragoediarum rationibus prosodiacis et metricis p. 17 dicit in senariis hiatum apud Senecam duobus locis inveniri, sed eis sine dubio corruptis: Oct. 516: tristes Philippi, † hausit et Siculum mare [mersit Gronovius]; Herc. Oet. 1200. 1201: ut leto inclitae sortis carerem. † o ferae, victae ferae [pro ferae Avantius]). Concludit Schmidtius, hiatus nullo quoniam loco a Senecae admittatur, ne illo Herculis Oetaei quidem, qui re vera hiatum ostendat, poëtam eo usum esse existimandum; de altero autem loco, qui in Octavia est, quoniam haec tragoedia a Seneca abiudicatur, ille securus est.) Itaque hoc quoque Herculis furentis loco hiatum codicibus traditum vitaturi multas critici coniecturas excogitavere. Tachau quidem, ceteros ut silentio praeteream, Birti coniecturam (‚ars prima regni est sospitem invidiam pati' Zu Senecas Tragödien Rhein. Mus. N. F. 34 (1879) p. 550) reiciens (nam patiendi verbum, quippe quod ipsum egregio loco positum sit, notionem sospitis in se habere neque ob eam rem opus esse illam notionem supervacaneam addere) — reiciens igitur Birti coniecturam Tachau negat verbum posse, cum temere id adiunctum esse videatur, magni momenti esse; se censere utrumque, quod in versu 352 legatur, et invidiam et sermonem popularem, etiam in eo, qui subsequatur, versu 353 efflagitari: fortasse igitur legendum esse ‚ars prima regni est famam et invidiam pati', praesertim si hos locos intueamur: Thyest. 204: fama te populi nihil adversa terret; Phaedr. 269: contemne famam (L. Tachau Die Arbeiten über die Tragödien des L. Annäus Seneca Philol. 48 (1889) p. 749). Hoc nescio an nemini vir doctus probet. Etenim ubicumque in his tragoediis codices lectionem quamvis corruptam exhibentes tam egregie quam hoc loco inter se congruunt, periculosissimum arbitror, nodum ita expedire, ut prorsus a codicibus discedatur. Et ne causa quidem est, cur coniciamus utramque vocem, et invidiae

vocem et sermonis popularis, quia in eo, qui antecedat, versu invidiam ac sermonem popularem inveniamus, idcirco, in eo, qui subsequatur, versu esse repetendam. Quid est enim, unde id suspiceris? Quid si forsitan quispiam iudicet hac ipsa repetitione mirum quam futuram esse orationem frigidam? Talibus iudiciis vereor, ut multum in emendatione proficiamus. Hoc igitur certum est Tachaui quoque coniecturam non illam quidem ut ineptam esse reprobandam, sed summopere lubricam ac dubiam videri. Ego quidem cum codicibus facio; nec difficile est aliquid invenire, quod et sententiae satisfaciat neque a codicum lectione recedat. Quod ut inveniamus, inspicere locum iterum opus est. ‚Stat tollere omnem penitus Herculeam domum' v. 351; ‚cogēre, v. 426; sin copulari pertinax taedis negat, vel ex coacta nobilem partum feram' v. 493 s.; ‚coniugia quoniam pervicax nostra abnuis regemque terres, sceptra quid possint, scies; complectere aras: nullus eripiet deus te mihi, nec orbe si remolito queat ad supera victor numina Alcides vehi; congerite silvas: templa supplicibus suis iniecta flagrent, coniugem et totum gregem consumat unus igne subiecto rogus' vv. 501 ss. — haec si legerimus, Lycum dicemus dirum facinus atque atrox admittere ausurum esse. Hoc autem dirum facinus atque atrox non certe solita, quam omnes reges patiuntur, consequetur invidia, sed capitali omnes odio a rege dissidebunt. Quidquid enim rex non mali solum, sed etiam boni faciet, semper erunt, qui eius facta, quorum eostaedeat, reprehendant. Haec invidia est solita imperiorum comes. Sed fac regem aliquid patrare, quod extra modum egrediatur: illa, quae antea tacita fuerit et compressa, invidia mirum quantum augescet totiusque populi ira erumpet. Et hanc invidiam Lycus hoc loco significat. Est sane ea invidia, quae in versu 353 (ars prima regni est pessimam invidiam pati) dicitur pessima, eadem, quae in versu 352 (invidia factum ac sermo popularis premet?) dicitur ‚invidia ac sermo popularis': qui fit igitur, semel ut eadem invidia vocetur pessima, sive ut solum responsum, non statim interrogatio huius invidiae spectet vim et magnitudinem? Solemus nimirum talibus in rebus, si quid exoptamus et cum animo nostro deliberamus nosmet ipsi consulentes, quid, si forte res male evenerit, futurum sit, placidius interrogare, fortius respondere. Nam ipsa eventus non prosperi cogitatio, ipsa interrogatio facit, ut, quamvis antea placidus fuerit animus ac remissus, vagas rerum vices metuentes exagitemur et sollicitemur. Atque alterius versus ‚pessima

invidia' alterius illa duplici notione ‚invidia ac sermo popularis' nonne abunde compensatur? Jam ut, qui sit corruptelae POSSE INVIDIAM ex PESSIMAM INVIDIAM ortus, quaeram, si sunt contractae syllabae in PESSIMINVIDIAM (cfr. Peiperi et Richteri editionem p. 570, I, 4: vocalium elisio; cfr. Phoen. 105: SI FIDES COMES E pro SI FIDA ES COMES; Med. 496: MEDEA MORES pro MEDEA AMORES; Phaedr. 1184; Oed. 773: EXPLICER RORES pro EXPLICA ERRORES; Oed. 775: FRACTOCCIDIT pro FRACTO OCCIDIT; Thyest. 655: SURPEMINENS pro SUPRA EMINENS; Herc. Oet. 1223: SANGUINE VEXAT pro SANGUINEM AVEXIT; Troad. 306: DEXTRACHILLI pro DEXTRA ACHILLI; Troad. 402; Herc. fur. 661, 1041.) — si, inquam, scriptum fuit PESSIMINVIDIAM syllaba IN syllabam IM excipiente locum corruptelae hac ipsa syllabarum similitudine datum esse quivis vel obiter versum legens facile concedet: nam scribe quaeso maiusculis litteris pessiminvidiam, unam et alteram lineolam omissurum te esse certo scio, nisi vero accurate singulas lineolas numerabis. Et tu ut non omittas, Etrusci librarius saepe litteras omisit: Herc. Oet. 1441: CLUDIT E pro CLUDIT ET: verbi altera syllaba IT factum est, ut id, quod erat simile, ET, intercideret; Thyest. 72: MUTARE IPSE pro MUTARE RIPAS; Troad. 121: LANIA IACENT pro LANIATA IACENT; Herc. Oet. 1709: SPECTET pro SPECTET LICET (litterae verbi ‚spectet' non dissimiles sunt litteris verbi ‚licet'). Itaque ex PESSIMINVIDIAM ita esse factum POSSE INVIDIAM veri simile est, ut, cum M intercidisset, E in O (Herc. fur. 1146: OBORRAT E pro OBERRAT) et I in E abiret (Phoen. 446: DISCENDIT E pro DESCENDIT) cfr. Peiperi et Richteri editionem p. 569, I, 2: diphthongarum et vocalium mutationes). Quodsi codicum lectio quomodo gradatim corrumperetur, ut recte demonstrarem, mihi contigit, restat, ut locos quosdam afferam, unde, pessimam invidiam' cum usitato Senecae more ac sermone convenire appareat. Ipsam sane malam invidiam non repperi, sed pestilentem invidiam Phaedr. 489: non pestilens invidia, non fragilis favor (sc. ‚inflammat illum, qui se dicavit montium insontem iugis); ceterum satis habeo docere, pessimus' in his tragoediis inveniri: Med. 183: abolere propere pessimam ferro luem equidem parabam; Med. 750,751: nunc meis vocata sacris, noctium sidus, veni pessimos induta vultus. Hos

locos Medeae si codices casu aliquo ipsos quoque corruptos nostrae memoriae tradidissent, si quis proponeret ‚pessimam luem,' ‚pessimos vultus', quamvis id ipsum apud poëtam non inveniretur, illi assentiri num dubitaremus? Ergo ne hoc quidem Herculis furentis loco contra pessimam invidiam ex eo argumentum sumere licet, quod coniuncta haec vocabula in tragoediis frustra quaeras. Quod denique Schmidtius verbi posse contra Peiperum (pondus invidiae pati; cfr. R. Peiper praefationis in Senecae tragoedias nuper editas supplementum Breslau 1870 p. 33: ‚nunc quidem credo Senecam scripsisse: „ars prima regni est posse in invidia pati," nam T 470: „inmane regnum est posse sine regno pati"') suscipit patrocinium, cum haec dicat: „Die von P. in der adn. critica vorgebrachte Vermutung pondus invidiae pati ist verfehlt, schon deshalb, weil dadurch posse beseitigt wird, welches hier mit Nachdruck steht und nicht verdrängt werden darf" (Anzeige der Ausgabe der Tragödien des Seneka von Peiper und Richter in Jahrbb. für Phil. u. Päd. hrsg. v. Fleckeisen 97 (1868) p. 861), hoc iudicium ita caret firmo fundamento, ut, quod ex contrario Tachau contendit: „Dem posse der Hdschr. ist wohl kein weiterer Werth beizulegen, da es Flickwort zu sein scheint" (l. c. Philol. 48, p. 749), id certe non minus quam illud Schmidti defendi possit: his quidem de rebus quoniam alius aliter sentiet, dici plura non attinet. Itaque venio iam ad Troad. vv. 1093 ss.:

Qualis ingentis ferae
parvus tenerque fetus et nondum potens
saevire dente iam tamen tollit minas
morsusque inanes temptat atque animis tumet:
sic ille dextra prensus hostili puer
ferox † superbe. moverat vulgum ac duces
ipsumque Ulixen.

Qualis ingentis ferae
parvus tenerque fetus et nondum potens
saevire dente iam tamen tollit minas
morsusque inanes temptat atque animis tumet:
sic ille dextra prensus hostili puer
fert os superbe. moverat vulgum ac duces
ipsumque Ulixen.

Spero ad finem nos perventuros, si, quid similitudinis inter eos quos comparari inter se vult poëta, intercedat, penitus perspexerimus. Et duas quidem praecipue res ille nos commonefacit, corporis imbecillitatem ex nimia nascentem adulescentia et animi magnitudinem in summa corporis imbecillitate ex egregia indole virtutis ut ex stirpe quadam efflorescentem. Namque et

fetum videmus parvum tenerumque esse et nondum potentem saevire dente, sed eundem, cum sit ingentis ferae fetus, matris vestigiis insistere atque generosam indolem praestare, ut, quamvis sit tenellus, iam experiatur, si quid armis a natura suppeditatis efficiat; et Astyanactem, qui victimae instar trahitur, comperimus esse puerum, sed puerum et ipsum nobili loco natum nobilitatisque generis documentum edere paratum: neque tamen ille fetus neque hic puer hosti viribus superiori traditi quidquam possunt pollentve: inanis utriusque impetus est. Quae cum ita sint, est tamen inter illum fetum et hunc puerum discrimen quoddam: finge animo talem feram, qualem poëta hoc loco depingit: saltus ei, quos sui defendendi causa dat, nonne risum facient? Puer quamquam idem facit atque illa fera ‚moverat vulgum ac duces ipsumque Ulixen' v. 1098, 1099. Qui fit igitur, idem ut in fera risum excitet, in puero habeat misericordiam? Ideo, opinor, quod illa, quam ipsam quoque a venatoribus exagitatam postremo captam esse ut censeamus et res ipsa postulat et comparatio, nihil antiquius habens, quam ut vitam tueatur atque defendat, mortis metu impulsa quamvis frustra laborat et enititur, ut ex hostis manibus effugiat; hic contra, cum haud sit nescius spem effugii ad irritum cadere, omnem, qui ridiculus videatur, laborem omittit neque, ut e priore similis parte verba repetam, aut minas tollit aut morsus inanes temptat aut denique animis tumet, sed ita se gerit, ut coactus manus dare adque id, quod unum relinquatur, confugere videatur, mortis contemptionem hostisque despicientiam. Sequitur, ut, quod in fera tanta vi prorumpit, vix ut verba sufficiant, quibus efferi possit (tollit minas, morsus inanes temptat, animis tumet), id ob eam ipsam, quam dixi, causam in puero minuamus, ad modum et rationem revocemus, certis denique finibus circumscribamus. Jam tecum reputa hos locos: Herc. fur. 90 (ferox A, feros Σ E 1 m. ox 2. m. i. ras. ex os), 797 (ferox E pro feros), 802 (minas: s 1. m corr. ex x E), 902 (minas: s ex x 1. m. E), Troad. 302 (estollit E pro extollit), 719 (minas: s ex x 2. m. E) — ex his omnibus locis, ad quos facile alii nec sane pauci adiungi possunt, meo mihi iure id concludere videor, quod per semet ipsum constat, litteras S et X eis adnumerandas esse litteris, quas veteres librarii mutaverint (cfr. Peiperi et Richteri editionem p. 574, II, 8 consonarum mutationes). Evolve porro Oed. v. 761: cornua vidit vultusque feros (E ferox!): con-

cedes illo loco ferox codice E traditum falsum esse; nam cornua cum adiectivum non requirant, vultibus id addi necessarium est: quod si omitteretur diceretur que Actaeon placidi fontis in unda vultus vidisse, quid abnorme vidisset? Nec si quis forte dicat ferox ad ipsum Actaeonem spectans idem valere ac feros ad vultus spectans, is recte hoc dicat: nam mutatae formae efflagitatur notio eaque in ferox non inest, inest in vultus feros. Hoc igitur cum concedere cogaris semel (plures locos non repperi) in codice Etrusco falso scriptum esse ferox pro feros, quoniam id, quod semel factum est, fieri potuit bis, ter, saepissime, idem librarius eodem modo hoc Troadum loco pro genuino os (feros superbe) legere potuit ox (ferox superbe). Jam vero in archetypo non FEROSSUPERBE scriptum erat, sed FERTOSSUPERBE: quae litterula T, si quis FERTOX vel invenit re vera vel suspicatus est, quam fieri potuit facile, ut intercideret! Itaque haec sunt verba poëtae:

Sic ille dextra prensus hostili puer
Fert os superbe.

Hoc decebat puerum, nihil aliud, cum fera illa extra modum egrediatur. Neque haec lectio non congruit cum v. 1092: vultus huc et huc acres tulit intrepidus animo. Quodsi puerum summa stantem pro turre, vultus huc et huc acres ferentem, intrepidum animo, ferentem denique os superbe cogitatione finxerimus, non iam mirabimur, quod omnium spectatorum animi in misericordiam prolapsi sunt. Sed una res superest eaque subdifficilis, ut afferam exempla, quibus illud ‚os ferre superbe' cum Senecae consuetudine convenire ostendatur. Nec tamen vereor, ne quis criticus tam sit severus, ut totum illud ‚ferre os superbe' uno harum tragoediarum loco scriptum postulet: nam numquam hoc mihi continget, ut ei, qui hoc necessarium esse putabit, meam conjecturam probem. Sufficiunt haec: 1., ferre Troad. 1092 (v. supra); Troad. 466: sic tulit fortes manus; Phaedr. 656: sic tulit celsum caput; Oed. 614: tuto superba fert caput fastu grave; 2., os Herc. fur. 1059: noctemque fugas ore decoro; Herc. fur. 896: victrice dextra fusus adverso Lycus terram cecidit ore; Herc. fur. 902: belligera Pallas, cuius in laeva ciet aegis feroces ore saxifico minas (cfr. „os Gorgonis Medusenhaupt, Cic. Verr. 4,124" Georg. Lex. sub Gorgo); Oed. 480: ore deiecto petiere terram

Thermodontiacae catervae; confer etiam hunc Octaviae locum: „Et ipse lateri iunctus atque haerens tuo sublimis inter civium laeta omina incessit habitu atque ore laetitiam gerens princeps superbo“ (703 ss.) Ita, si quidem verum est, quod conieci scriptum fuisse FERTOS idque littera T deleta mutatum esse in FEROX, haec quoque corruptela comprobat illud Leonis Etrusci archetypum verbis inter se nondum segregatis exaratum fuisse monentis idemque de Troadum versu corrupto 844 dicendum est:

Numquid Aiacis Salamina † **veri**	Numquid Aiacis Salamina **agere**
aut fera notam Calydona saeva,	aut fera notam Calydona saeva
quasque perfundit subiturus aequor	quasque perfundit subiturus aequor
segnibus terras Titaressos undis?	segnibus terras Titaressos undis?

Haec (SALAMINA VERI) codicum lectio est. Quam quamvis enitaris, ut interpretando explanes, et operam, mihi crede, et oleum perdes. Nam illud carmen, cuius quattuor versus hic exscriptos habes, si perleges, plurima loca nominata invenies eaque omnia usque ad versum 843 casu nominativo appellata, utpote quae pendeant ex illa interrogatione ‚quae vocat sedes habitanda captas?‘ (814). Sed inde a versu 844 subito casum nominativum excipit casus accusativus. Itaque si ad extremum illud, quo Scaliger usus est, cum lacunam statuendam esse censeret, confugere piget, cetera quoniam nihil est, cur mutemus, uni ei vocabulo, quod, quo spectaret, a nullo umquam intellectum est (VERI in v. 844) medicinam, quam adhibeamus, nos quaerere consentaneum est. In pravo autem illo VERI, ut Madvigi verbis utar (adv. crit. II, p. 120 s.), inest verbum, unde pendent accusativi. Jam haec sunt in Phoenissis (575 s.): Adulta virgo, mixta captivo gregi, Thebana nuribus munus Argolicis eat? Videmus igitur captivorum turbam cum grege comparari. Eadem autem captivorum turba aliis locis nomine praedae significatur a victore raptae: Troad. 58: praedaque en vilis sequar; Troad. 150: Argolici praeda triumphi; Troad. 920: sin rapta Phrygiis praeda remigibus fui; 980: Ithaco obtigisti praeda nolenti brevis; Phaedr. 543: factus praeda maiori minor; Herc. Oet. 1195: utinam fuissem praeda Centauris datus. Itaque facillime conicias id, quod ad veri similitudinem proxime accedat, si in gregis et praedae nomina nullum verbum aptius quadrare considerare velis quam verbum agendi: Herc. fur. 233: acta est praeda ab occasu ultimo; Phaedr. 297:

egit armentum; Agam. 842: egit Threicium gregem. Quamobrem non dubito scribere: Numquid Aiacis Salamina agere? (SALAMINAGERE!) Hanc coniecturam multis argumentis egere cum causa negare mihi videor; neque ob eam rem non facile concedo ne unum quidem me locum, quo G in V a librariis mutatum esse docerem, repperisse, quamvis assidue circumspicerem, si quem reperirem. Sed quamquam id concedere cogor, tamen nihilo minus aliquid me attulisse ad locum obscuritate insignem explicandum confido. Idem de Herc. Oet. vv. 28 ss. dicere audeo. ‚Quodcumque', inquit Hercules, ‚tellus genuit infesta, occidit meaque fusum est dextera:

iratis deis
non licuit esse, si negat mundus feras
† **animum novercam,** redde
nunc nato patrem
vel astra forti nec peto, ut monstres iter;
permitte tantum, genitor: inveniam viam.

iratis deis
non licuit esse, si negat mundus feras
animum coerce, redde nunc nato
patrem
vel astra forti nec peto, ut monstres iter;
permitte tantum, genitor: inveniam viam.

Noverca A, coercam signo corruptelae addito E; quo signo Leo dicit (I, 30) ter Etrusci librarium in hac tragoedia (Herc. Oet.) voces corruptas notasse: 540 (537) mas (recte Gronovius intimas), 608 (605) avia aula), 31 coercam; ‚ceterum' inquit, ‚31 corruptus est necdum sanatus.' Quem me sanare posse non tam arrogans sum, ut dicam; coniecturam propono idque ago, ut hac nisi alii locum sanent. Nam sanatum eum nondum esse recte Leo dicit: mihi quidem ea, quae adhuc viri docti invenerunt, non placent, velut Birti coniectura

Si negat mundus feras,
Damnum noverca, redde nunc gnato patrem
cede astra forti.

Etenim praeterquam quod ille vir doctissimus non ab Etrusco solum, sed etiam a deteriore tragoediarum recensione nimis recessit, coniecturam eius idcirco reprehendendam censeo, quod neque ‚animum' ego neque ‚vel' corrupta esse arbitror, sed explodendum divino eiciendumque illud, quod codice Etrusco ipso adducamur, ut suspectum habeamus, ‚noverca.' Nam hercle sane, de Hercule si dicas, nemini non in mentem veniat novercae. Quae in his tragoediis nonne nominatur saepissime? Lege Herculem furentem, lege Herculem Oetaeum: taedebit te idem audire millies. Et hic

mihi quisquam miratur, qui factum sit, de noverca illa odio Alcidae infami ut codicis A librarius cogitaret? De qua haud ille recte hoc loco cogitavit: ex eis enim, quae in Etrusco, cuius quanta sit fides, scimus, extant, verae lectionis vestigiis facile suspiceris, veri simile esse noto omnibus novercae nomine librarium codicis A inductum esse, ut genuinum verbum, quod minus quam illud novercae vocabulum et notum esset et aptum hoc loco videretur, neglegeret, idque eo est veri similius, quod et ex Etrusci scriptura conicere licet in ipso archetypo versum vel corruptum fuisse vel ita scriptum, ut, quae essent litterae, cognosci non posset, et quod ex innumerabilibus exemplis librarium codicis A in transcribendis litteris fuisse neglegentem apparet. Itaque cum, quid esset novercae nomini simile, reputarem, Etrusci lectione adiutus coercendi verbum inveni; cumque in Phaedr. fab. (256) ‚animos coerce' legissem, non iam dubitavi, quin hoc loco esset restituendum: ‚animum coerce' (cfr. Med. 175: animosque minue; 426: animum mitiga). Quamobrem cum ‚animum coerce' dicit Hercules, hoc dicit: ‚benevolentior mihi fias quaeso quam adhuc fuisti.' Nam Hercules quamvis esset probatus, tamen a Jove non impetraverat, quod vehementer optabat, ut ille sibi, nato forti, ‚patrem vel astra redderet.' Id exoptanti ac desideranti Alcidae deus morem gerere non potest, nisi ita, ut aliquid de severitate remittat pro eaque iam uti incipiat indulgentia: ‚age', inquit Hercules, concede tandem aliquando mihi supplici voce te adeunti id, quod maxime optare numquam desii; id ex animo te mihi non esse concessurum cum sciam, oro te obtestorque, ut concedas animum coercens i. e. indulgentia quadam in me et clementia usus. Quod cum probasse tibi videar, vereor, ut hanc coniecturam tibi probem:

Hic, quem per urbes ire praeclarum vides
et fulva tergo spolia gestantem ferae,
qui regna miseris donat et celsis rapit,
vasta gravatus horridam clava manum,
cuius triumphos ultimi Seres canunt
et quisquis alius orbe † **concepto**
iacet . . .

Hic, quem per urbes ire praeclarum vides
et fulva tergo spolia gestantem ferae,
qui regna miseris donat et celsis rapit,
vasta gravatus horridam clava manum,
cuius triumphos ultimi Seres canunt
et quisquis alius orbe **cum toto**
iacet . . .

Hi sunt versus Herculis Oetaei 410—415. Loquitur autem Deianira. Quae quid dicat, cum facillime intellegatur, contextum verborum explicare non opus est. Itaque coniecturam ‚cum toto'

pro ‚concepto' quomodo invenerim, dicam. Versus 407—439 cum in codice Etrusco non esse vidissem (‚407—439 om. E, in mg. deficit hic multum accurate script. manu secundae simili' Leo), cum, quantum deterior tragoediarum recensio interdum ab Etrusco discreparet, essem expertus, eam lectionem, quam habent Σ et A, concepto, statim adductus sum, ut addubitarem, num satis fundatam esse censerem, ut inde proficisci ei, qui hunc locum emendaturus esset, liceret; neque si quid invenissem, quod et aptum consentaneumque sententiae esse videretur et certis insuper argumentis affirmari posset, ideo me vituperatum iri arbitratus sum, quod auctoritatem codicum non satis curavissem. Itaque cum hoc loco liberius licere conicere, quid poëta scripsisset, quam aliis locis propterea mihi persuasissem, quod hic destitueremur Etrusci codicis ope et auctoritate essetque, cur codici A diffideremus, ‚orbe cum toto' conieci: nam legeram in Oed. fab. vv. 110, 111: ‚occidis, Cadmi generosa proles, urbe cum tota'; et in eadem fabula: ‚te pater inultus urbe cum tota petam' (643); praeterea inveni haec: CUM CESSET A pro CONCESSIT (Herc. Oet. 14) et CONCEPIT E pro CUM COEPIT (Herc. Oet. 714). Itaque CUMTOTO in archetypo fuisse mutatumque esse ita puto, ut pro CUM scriberetur CONC et ex altera parte (TOTO) verbi obscuri id peteretur, quo illud CONC, quod esset mutilum et quasi decurtatum, expleri posset. Quod ut tibi persuadeam, quamquam desunt exempla, quae afferre possim (neque enim ullo loco, quantum memini, id, quod potuit fieri facillime, factum est, ut E in T aut P in O abiret), tamen nihilo minus coniecturam meam spero fore probabilem. Itaque cum hoc de loco nihil iam habeam, quod scribam, desperatum inter paucos versum Herculis furentis, ut semel finiam, tentabo. Queritur Amphitryon, quod Hercules filius, cuius aspiciendi desiderio tabescat, a Junone maxima pericula subire iussus nunquam non absit enumeratque eos, quos natus iam superaverit, labores. Sed quid, ait, ista prodesse? Sensisse terras pacis auctorem suae abesse; rursus prosperum ac felix scelus virtutem vocari; sontibus parere bonos, ius esse in armis, opprimere leges timorem. Quem satis Thebas flere? Eam urbem ‚sordido premi iugo', ‚e cuius arvis eque fecundo sinu stricto iuventus orta cum ferro steterit cuiusque muros natus Amphion Jove struxerit canoro saxa modulatu trahens' etc.

Cadmea proles atque **ophyonius cinis**	Cadmea proles atque **Ophionia, ut cinis**
quor excidistis tremitis ignavum exulem,	**Coro, exciti estis:** tremitis ignavum exulem,
suis carentem finibus, nostris gravem.	suis carentem finibus, nostris gravem.

Hoc loco maxime inter se codices discrepant. Namque cum in codice Etrusco duae inveniantur lectiones, quarum altera prima manu scripta haec est: ‚QUOR EXCIDISTIS (R incertum), altera secunda manu scripta haec: ‚QUO RECIDISTIS‘, cumque illa lectio sit etiam in codice N eaque et ipsa prima manu et ita scripta, ut littera R dubia sit, haec in codice A, codex M habet QUORSUM EXCIDISTIS et illa scriptura interpolata (‚incertum ab antiquo (A) an Italo correctore novicio‘ Leo) ‚quo decidistis‘ traditum est. In hac tanta lectionum varietate, quae ad veritatem proxime accedat, diiudicare difficillimum est; ego id, quod prima manu in Etrusco scriptum videmus (QUOR EXCIDISTIS) puto esse maximi momenti ac ponderis. Nam cum ceteri omnes non id, quod invenerant, transcripsisse videantur, sed id, quod fuerat in archetypo, cum, quid sibi vellet, non intellexissent, mutasse eos et ad verborum contextum accommodasse veri simile sit (et quam fit facile ex QUOREXCIDISTIS, leviter si id mutes: QUORECIDISTIS), codicis Etrusci librarius ille, qui QUOREXCIDISTIS scripsit, unus, cum nihil antiquius haberet, quam ut id, quod verum esset, traderet, quamvis id ipsum, quo valeret, explicare et explanare profecto non posset, dignus esse videatur, cui fidem habeamus. Itaque quasi quodam fundamento hac Etrusci lectione nitamur:

Cadmea proles atque Ophionius cinis
Quor excidistis . . .

Sed illud ‚Ophionius cinis‘ quis est, qui intellegat? Id mutare facillimum est (N. Heinsius: Echionium genus), sed idem periculosissimum, cum hoc cinis codices omnes ad unum mirifice inter se congruentes habeant. Itaque caveamus, ne, quod ita codices tuentur, id nos eiciendum esse iudicemus. Est autem, si in eodem versu de Cadmea prole et de cinere dici videmus, si emendatione opus est, proximum, paene dixi, consentaneum fingere nos poëtam in animo habuisse prolem illam Cadmeam cum cinere comparare. Id si verum est, forsitan nobis liceat pro Ophionius cinis scribere Ophionia ut cinis idque nobis licere eo facilius concedes, quod

habemus, cur scriptum fuisse sumamus: OPHIONIUTCINIS; id cum valde esset obscurum nec quisquam, quo spectaret, intellegeret, ita aliquem mutavisse pro certo affirmare ausim, ut, cum T calami lapsu ortum esse coniceret, OPHIONIUSCINIS emendaret Sed fac genuinam poëtae manum esse:

Cadmea proles atque Ophionia ut cinis

(cfr. Troad. 596: gaudete, Atridae, tuque laetifica, ut soles . . .): contraria inter se esse ‚Cadmea proles' et ‚cinis' videbis. Nam Cadmea illa proles nobilis ut cuiquam videatur comparanda cum cinere, cuius hoc proprium sit, ut quolibet vel minimo venti flatu exagitetur et perturbetur! Cadmea illa proles ut tam sit vilis quam cinis! Et dicit profecto hoc Amphitryon, quantopere tali comparatione Thebanos offendat, haud nescius; utque magis, quo res Thebanorum florentissimae antea reciderint, appareat, Cadmea proles, non proles Cadmea ille dicit cumque hoc ei parum grave esse videatur, ad Cadmea adiungit Ophionia: nulla profecto magis re, qui esset iam Thebanorum reipublicae status, ostendi potuit, et quo esset incredibilius Thebanos, qui oriundos se esse a Cadmo et Ophione gloriarentur, ad tantam ignaviam processisse, iam ut aliquis eos auderet comparare cum cinere, eo magis et vehementius hac tam audaci comparatione animos permotos esse credas. Et spectat hoc Amphitryon: nam si dixisset Cadmea proles, hoc satis fuisset, sed cum dicat Cadmea proles atque Ophionia multo gravius opprobrium fit. Hoc te concessurum esse ratus illud te moneo similiter verba in sermone latino saepissime collocari, praesertim si quis id, quod dicit, augeri et amplificari vult. Ergo si poëta scripsit Cadmea proles atque Ophionia hac ipsa verborum collocatione docuit eam prolem, de qua diceretur, imprimis esse nobilem nec videri fieri posse, ut ea, qua esset nobilitate, ulla macula aspergeretur. Hoc concesso si verum est, quod conieci Senecam scripsisse Cadmea proles atque Ophionia, proximum est, ut ‚Coro exciti estis' defendam. Et Corus quidem ventus ille est et vi et impetu insignis: cfr. Troad. 1033: terris mare dum coactis fluctibus Corus prohibet; Med. 411, 412: non rapidus amnis, non procellosum mare Pontusve coro saevus . . . Phaedr. 736, 737: fugit insanae similis procellae, ocior nubes glomerante coro; 1012, 1013: nec tam furens Jonius exsurgit sinus regnante Coro; Agam. 484: quid rabidus ora Corus Oceano exerens? 598, 599: non maria asperis insana coris;

Thyest. 578: Bruttium coro feriente pontum; Herc. Oet. 650, 651: Bruttia Coro pulsante fretum lenior unda est. Hunc corum, cuius vis quanta sit, haud te fugit, fac saevire incipere; fac porro alicubi esse cineris cumulum, in quem rabidi venti fiat impetus, uno impetu cinis dissipabitur et disturbabitur, ut ne minima quidem eius particula suo loco maneat. Itaque lege iterum hos versus

Cadmea proles atque Ophionia ut cinis
coro exciti estis: tremitis ignavum exulem:

ad verba ‚ut cinis coro' audies sive excitur sive excitus subvolat, ut haec habeamus: ut cinis coro excitur, sic vos (ad hoc pronomen referendum est exciti estis, nisi ad proles ita illud referre mavis, ut de Thebanis prolis vocabulo significatis cogites; nam saepissime fieri constat, ut verbum cum eo, quo spectat, nomine discrepet referaturque ad homines, qui quoquo nomine significari videntur; ceterum confer Med. 83 ss.: cedent Aesonio duci proles fulminis improbi, aptat qui iuga tigribus) -- ut, inquam, cinis coro excitur, sic vos, quamvis genere sitis nobili, excimini sc. metu. At hic ablativus a poëta non est ad ‚exciti estis' adiunctus. Audio; sed quis est, qui, hos versus si leget, qua re Thebanos excitos esse poëta velit, dubius haereat? Nonne metu tyranni Thebanos perculsos iacere identidem audimus? (cfr. tremitis ignavum exulem). Et quamquam ‚metu' sive tale aliquid si poëta ad ‚exciti estis' addidisset, quoniam ‚metu' responderet illi ‚coro', alterum orationis membrum cum altero pulchre conveniret, tamen ego illud adeo nihil desidero, ut, si additum esset, orationem futuram fuisse nimis frigidam non possim non iudicare. Quae cum ita sint, recte me hunc locum ita interpretaturum esse spero: Quemadmodum cinis coro excitur excitusque quodammodo tremit vibratque, item (incredibile est dictu) vos, vos, dico, Cadmea proles atque Ophionia, metu et pavore excimini seu potius iam pridem estis exciti tremitisque ignavum exulem. Ac ne illud quidem omittendum est, quod hoc loco nullum verbum aptius est quam exciendi verbum. Namque id usurpatur, si qui, cum antea in otio fuerint et tranquillitate, repentina aliqua re perturbari dicuntur. Quod ut probabilius tibi videatur, finge cogitatione examen avium in unum locum congregatarum: nihil metuentes in prato aliquamdiu versatae minimo crepitu ita terrentur, ut omnes repente raucum quiddam sonantes avolent; finge homines spectaculi causa aliquo confluxisse: vel

nuntio tristi territi vel repentino angore impulsi fieri potest, subito ut omnes passim diffugiant, ut brevi neminem iam eis, quo laeti illi concurrerant, locis videas. Itemque Thebani, quos ante Lyci dominationem beatos fuisse facile suspiceris, repentina regis regulorumque occisione (254 ss.) subito exciti sunt, ut tremant ignavum exulem latebrisque se abdant ne exire quidem foras iam ausi. Habes meum de hoc loco iudicium: restat, ut de corruptelae ortu disseram. Ac QUO quidem ex CO ortum est (v. supra meam ad Herc. Oet. 1652 annotationem); supererat REXCITESTIS: id haud scio an QUO librarii inducti sint, ut mutarent et vel EXCIDISTIS vel RECIDISTIS scriberent; in mutatione litterarum T et D ne offendas (EXCI**D**ISTIS et EXCI**T**ESTIS), addo Phaedr. v. 103: ANDRO E pro ANTRO. Exciendi denique verbum invenitur in Oed. fab. v. 288 s. (in tempore ipso sorte Phoebea excitus Tiresia tremulo tardus accelerat gradu) neque exempla desunt, ex quibus rei augendae causa poëtam verba similiter collocasse appareat atque in Herc. fur. v. 268 (Cadmea proles atque Ophionia): cfr. Herc. fur. 219: remisso lumine ac placido; 919: cruenta caede et hostili; Troad. 600, 601: maturo exitu facilique.



UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
871527 YSU C001
SYMBOLAE CRITICAE AD SENECAE TRAGOEDIAS
3 0112 023705756